

canonicus Bremensis, arbitri inter dominos Bremensem archiepiscopum et Verdensem episcopum super possessionem jurisdictionis castri Otterbergh a vobis et partibus dati, orationes in Domino devotas. Cum proxima quarta feria post festum Michaelis in auditione testium laboraremus, magister Arnoldus procurator capituli Bremensis comparuit coram nobis per tale instrumentum constitutus: *B[urchardus] major prepositus etc.*<sup>\*)</sup> et allegans et inducens multa jura, quod capitulum Bremense debebat citari, asserens, quod, si forte vos ad hoc velletis capitulum citare, licet sero, parati essent coram vobis comparere et ea, que ipsis de jure competerent, facere, unde, cum dubitemus, quid nobis ulterius in causa sit faciendum, ad vestram duximus discretionem recurrendum, scientes, quod usque ad octavas Martini de consensu partium terminum prorogavimus, salvis omnibus, que continentur in instrumento arbitrii super hoc confecto.“

Recepto igitur responso et consilio abbatis de Amelungisborne et aliorum prudentum virorum misimus magistro Wilbrando literas tales:

(V.) „H[einricus] quondam abbas de Walchenreth, C[onradus] decanus Sancti Andree Hildensemensis, coarbitro suo sive coadjutori, magistro W[ilbrando], canonico Bremensi, orationes in Domino. Sicut a viris discretis et religiosis et precipue a domino abate de Amelungisborne, judice a domino legato delegato, intelleximus, nihil ad nos de appellatione, quam fecit magister Arnoldus, canonicus Bremensis, ex parte capituli Bremensis, noscitur pertinere. Quare rogamus discretionem vestram, quatenus una nobiscum ad producendos testes terminum secundam feriam proximam ante festum apostolorum Symonis et Jude primo venturum et locum in Sutherem<sup>38)</sup> partibus prefigatis, qui locus vestre parti satis commodus esse videtur. Quia vero ego H[einricus] quondam abbas in Walchenreth sigillum proprium non habui, usus sum sigillo Wicboldi canonici Hildensemensis<sup>39)</sup>.“

\*) b. i. oben n. III.